

Christus similis est Adamo, Rom. V. 14. Quemadmodum igitur per Adami transgressionem, omnes homines facti sunt peccatores; ita Christus mortuus est pro impiis, vel omnibus hominibus substitutivè, cap. eod. v. 6. quia surrogatus est in locum omnium hominum. (2) *Amplificat per αἰτιολογίαν.* Nam causa finalis, ob quam Filius Dei illos, qui sub lege erant, redimeret, est, *ut adoptionem Filiorum reciperemus*, quod propon. v. eod. *ἵνα τὴν υἰοθεσίαν ἀπολάβωμεθα*, ubi articulus τῶν respicit illam adoptionem, vel benedictionem, quam Deus promisit Abrahamo, & semini ejus, & distinguit Apost. inter *Filium Dei naturalem vel unigenitum*, qui naturâ est Dei Filius; & *Filios Dei adoptivos*, qui ex gratiâ & misericordiâ sunt Filii Dei per Christum. Non autem Ap. dicit, *ut adoptionem acciperemus*, sed *reciperemus*, ut ostendat, quid amissum sit in Adamo, & quid à Christo nobis sit rursus acquisitum. Et si igitur Christus in N. T. factus est sub lege, ut adoptionem Filiorum per illum reciperemus, inde autem non sequitur, quod Credentes jus adoptionis non receperint in V. T. ex fide in Christum. Nam Deus etiam in V. T. Christum proposuit propitiationem, Rom. III. 24. 25, Hebr. XIII. 8. Apoc. XIII. 8. Act. XV, II.

OBJECTIO II.

Nos adhuc sumus servi.

E. *Nos non sumus hæredes Dei per Christum.*

Antec: est illorum, qui in tentationibus spiritualibus, & suis angustiis gemunt, & objiciunt, quod non sint Filii & hæredes, sicut patet ex v. 7.

Conseq. prob. Nam servum esse, & hæredem esse, sunt opposita, siquid hæreditas de jure competit Filiis, non autem servis.

Resp. ad Antec. Neg. Nam si vos adhuc essetis servi, & non Filii, Deus non misisset Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater. *Quoniam autem vos estis Filii, Deus misit*